

CANONES APPROBATI IN I SESSIONE

Canon

Par. 1. *Status religiosus, in quo fideles, mundo renuntiantes et Christum pressius sequentes, publica professione consiliorum evangelicorum, Deo summe dilecto totaliter et stabiliter mancipantur, praeclarum signum constituit in Ecclesia, gloriam Regni coelestis praenuntians, ideoque ab ea speciali modo fovetur.*

Par. 2. *Haec professio consiliorum evangelicorum castitatis nempe, paupertatis et oboedientiae fieri debet secundum formam ab Ecclesia approbatam et voto firmari vel alio sacro vinculo.*

Canon

Par. 1. *Nomine monachi venit religiosus qui, secundum primaevas formas professionis consiliorum evangelicorum tradita, morum conversione vitam vel anachoreticam vel coenobiticam ducit in opere Dei et in labore, ut in rerum divinarum contemplatione et in caritate apostolica solum Deum Eiusque Regnum quaerat.*

Par. 2. *Monachus, iis tantum apostolatus vel christianae caritatis operibus incumbere potest quae cum vitae monasticae indole consentanea sint.*

Par. 3. *Religio monastica per se nec clericalis nec laicalis est.*

Canon

Nomine eremitae seu anachoretae venit religiosus qui vitam complete solitariam in quiete et silentio, assiduaque prece, lectione, labore et alacri poenitentia in laudis sacrificium offert et arcana foecunditate apostolica Ecclesiam ditat.

Canon

Institutum religiosum centralizatum est illud in quo ad suos fines assequendos sodales religiosam vitam ducunt secundum easdem constitutiones sub Moderatore generali.

Romae, die 26 novembris 1966